

dinem, si quoad *integritatem* suam spectetur, non solum in actibus animæ circa DEum occupatis, verum etiam in aliis dotibus ac perfectionibus; quæ corpus & potentias ejus ornabunt, v. g. spritualitate, impossibilitate, agilitate, claritate corporum, sensuumque ipsorum glorificatione consistere, ut beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, easdem partes futuræ gloriæ, docente Apostolo *1. Cor. XV. v. 40. 41. 42. 43. 44. 49. conf. Matth. XIII. v. 43. Phil. III. v. 21.* tamen ex verbis Pauli I. c. recte colligunt, *essentiam* beatitudinis, seu illud, quo Deum, tanquam summum bonum consequemur & possidebimus, in clara aut intuitiva visione Dei collocari debere, qua Deus nobis intime præsens & conjunctus fiat, quatenus intellectus lumine gloriæ elevatus ipsam divinam essentiam, & quæ in Deo insunt actu & formaliter, immediate aut in se, citra species intelligibiles, cognoscat; qua ratione nos Deo maxime similes fiamus: quamvis ultro etiam agnoscant & profiteantur, hanc Dei visionem, quæ formaliter ad intellectum pertinet, voluntatem quoque hominum beatorum ita afficere, ut in ea ardentissimum, summum & incessabilem Dei amorem excitet, atque hinc delectatio & voluptas ineffabilis oriatur.

VIII. De verbis *gustandi* aut *prægustus* facile observatur, verba illa ad sensum externum proprie pertinere: eum videlicet, quo sapores sive qualitates corporis mixti ab humido aqueo & sicco terrestri, a calore mediocri coelis, ortæ percipiuntur: seu (ut *Petrus Gassendus L. de sens. c. 2. contendit*), quod corpuscula rei sapida, afficienda lingua idonea sic exprimuntur, ut in meatulos lingvæ subeant, & dispersos per membranam ejus nervulos moveant, & per resiliens in cerebrum spiritus motionem sentiendi facultati renunciant. Quorum sicut accuratorem investigationem ac judicium Physicis relinquimus, ita omnino certum esse credimus, *to gustare* proprie rerum materialium esse. Quemadmodum autem vocabula sensuum externorum ad animam rationalem ejusque facultates immateriales & operationes proprias designandas frequentissime adhiberi solent: Sic Scripturam pariter ac Theologos hoc loco vocabulum *gustandi*